

Q.K. 163.1.  
Q.K. 163.

Vindicatio locorum Ben. Carpovii  
sa juris sublimis territorie in Episcops  
chisensi Churf. et Numburgensi.



ORDINIS JURIDICI  
VVITTENBERGENSIS  
DECANUS,  
**CASPAR HENRICUS**  
**HORNIUS, JC.**

Potentissimi Regis, et Electoris Saxo-  
niae in Provocationum Senatu  
Consiliarius, et Antecessor

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.



ERICH HIRSH  
KUNSTSAMMLUNG  
SALZBURG  
CAPA HENRIGUS  
HORNIS D.  
PERSERUM REGIS ET HEREDITATIS  
IN HOC MONSTRUM GOMPHI  
CONFIDENS ET VINCENS  
FICITORI PRAEVALLO





Erenissimae Saxonicae Domus  
jurium levem qui saltem et per  
functoriam notitiam sunt con-  
secuti, illos latere haud potest,  
*Potentissimum Electorem Saxoniae*  
jus sublime territorii vindicare  
sibi afferereque in tribus Epi-  
scopatibus illis, qui Saxonici vulgo dicuntur, *Misenensi*  
scilicet, *Martisburgensi* et *Numburgensi*, eosque non ni-  
si mediatos habere, exigereque, ut ceu Status Provin-  
ciales superioritatem ejus agnoscant, et revereantur.  
Id quod non heri aut nudius tertius, vel nostra  
aestate saltem factum esse, verum inclytam Domum  
Saxonicam duobus jam abhinc seculis et amplius  
jus hocce suum strenue persecutam esse, literae te-  
stantur, quas in comitiis Ratisbonensibus M D XLI.  
invictissimo *Carolo* Imperatori exhibuit, quae apud  
*Hordlederum* reperiuntur ac legi possunt. Inseruit *Tom. I. Lib.*  
quoque laudatus, quem nominavimus, auctor, di-  
8. c. II.  
lignantissimus Germanicarum rerum scrutator et vin-  
dex, antecessorum nostrorum *JCtorum Witteber-* *cap. XII.*  
gensium scriptum, consilium vocant, quo jura Prin-  
cipum

cipum calamo suo tutati sunt , atque evicerunt  
Episcopatus illos omnino illis subjectionis lege ob-  
noxios esse. Non est animus ea denuo excutere;  
neque etiam causa ista nobis defensoribus eget. Quia  
tamen passim videmus audimusque , illos , quibus  
diversam sententiam defendere placet, ad testimo-  
nium *Benedicti Carpzovii* magni illius Saxoniae JCti,  
provocare , atque ideo , quod vir iste status Saxonici  
peritissimus fuit , et ad intimiora consilia *Serenissimi*  
*Electoris Saxoniae* admissus, plurimum causae sua  
accedere existimant, si illum sibi assentientem alle-  
gare possint: in mentem venit, sollicitum esse pau-  
lisper de illis, quae *Carpzovius* de hoc argumento in  
scriptis suis nobis reliquit, indagareque, num sen-  
tentiam foverit, quae *Potentissimi Electoris Saxoniae* ju-  
ribus adverfareetur. Etsi enim parum referre vide-  
tur, quicquid senserit demum *Carpzovius*, nec priva-  
ta ejus sententia , quounque demum munere fun-  
ctus, quicquam obesse possit Principis juribus : ve-  
ritatis tamen causa interesse, puto nosse, quaenam  
hac de re opinio summo illi viro fuerit, jure ne , an  
secus in dissentientium partes pertrahatur ? Ut ve-  
ro rectius judicium de hac re ferri possit, non piget  
loca illa transcribere , quae ad negotium praelens  
pertinent, et sua faciunt illi, qui de *Carpzovii* assensi  
gloriantur. Postquam scilicet in *Processu Juris*, ubi  
de judicibus ordinariis in foro et *Electoratu Saxo-*  
*niae* agere constituit , commonuit lectorem, *Electo-*  
*ratum Saxoniae* cum *Episcopatibus* illis nequaquam con-  
fundendum fore , nec subditos et incolas *Episcopatum* in  
*Electoratu* ejusque *judicis* conveniri posse , haec subji-  
cit: *Etsi enim Serenissimus Saxoniae Elector in Episcopati-*  
*bus*

*Tit. II. a. 2.*

bus jurisdictionem exercet; attamen hoc ipsum non Electo-  
ris; sed Episcopi vel Administratoris nomine facit, quem  
in Episcopatu et capitulo repraesentat. Quantumvis etiam  
jus protectionis in praedictis tribus Episcopatibus Serenissi-  
mo competit Electori: attamen jurisdictionem hoc tribuit  
nullam; nec enim protectio juri territoriali et jurisdictioni  
quidquam adimit. Et quis nescit, Episcopatus illos  
feudalitati Caesaris addictos esse, Seyn unter Käyserl.  
Majest. Lehnshafft versetzen, unde et ab Imperatoria Ma-  
jestate in feudum recognoscuntur, quae exemptio effecit, ut  
non amplius in territorio Electoris siti censeantur; quia in  
effectu paria sunt, locum esse exemptum, vel esse extra ter-  
ritorium. Ex hisce infert, non esse de territorio Epi-  
scopatus hosce licet in territorio sint: quibus addit,  
a sententiis in Regiminibus dictorum Episcopatum  
latis ad Caesarem, et Cameram, tum etiam Dres-  
dam provocari, et hoc fieri non tam ex jure ter-  
ritoriali, quam ex speciali conventione. Qua de re ipse L. II. Ref.  
quoque agit alibi. Repetit hoc argumentum in Proc. p. 125. Et  
Tit. XVIII. ubi postquam privilegium Saxonum de privi-  
legio Saxonico de non appellando negavit ad Episcopatus pertinere,  
in haec verba commentatur: Accedit ratio manifesta,  
siquidem praedicti Episcopatus cum Electoratu et provinciis T. 18. a. I.  
Saxonici, quorum intuitu privilegium de non appellando fuit n. 57. 58.  
indultum, nihil commune habent. Et si enim Elector Saxoniae  
eos administrat, et jurisdictionem ibidem exercet: attamen  
hoc ipsum non Electoris, sed Episcopi vel Administratoris no-  
mine facit, quem in Capitulo repraesentat. Nec aliud efficere  
potest jus protectionis, der Erb-Sschutz, Serenissimo Electori in  
Episcopatibus competens, quippe quod jus hoc nec jurisdictionem  
tribuat, nec ullam libertatis inferat jacturam: unde  
liber etiam dicitur populus, quantumvis sub alterius clien-

n. 11.

n. 15.

n. 22.

L. II. Ref.

p. 125. Et

de privi-

legio Saxon-

nico de non

appellando

n. 57. 58.

T. 18. a. I.

n. 24. 25.

*tela et patrocinio vivat. Quae omnia sane satis spe-*  
ciosae pro tuenda contraria sententia allegantur. Ex  
illis enim fluere videtur, *Carpzovium vulgatam illam*  
*distinctionem esse in territorio et esse de territorio* hac  
mente huic negotio accommodasse, ut asserere voluerit, Episcopatus illos, licet cum terris et patrimonio suo immixti sunt provinciis et regionibus Misnicis et Thuringicis etc. Potentissimi Electoris Saxoniae, non tamen revereri territorialem illius superioritatem. Sed antequam judicium feramus de

*Tit. II. art.*  
*n. 29*

*Carpzovii* sententia, audiamus etiam ea, quae beatus vir praeter ista suis inferuit monumentis. Namque postquam primo isto loco, quem excitavimus, tradidit, *Episcopatus hofce Electorales dici, natosque illos*  
*esse in territorio Electorum Saxoniae, submonet, jura*  
*territorialia sibi merito vindicare Serenissimum Electorem*  
*, Saxoniae, qua talem, in Episcopatibus illis, licet jurisdi-*  
*ctionem ut Episcopus ibidem exerceat; siquidem novum*  
*non est eandem provinciam plurium dominatu fastigari,*  
*alio scilicet JURA TERRITORIALIA, ALIO*  
*JURISDICTIONEM SIBI VENDICANTE. Ex*  
*quo infert relegatum ex terris Electoralibus Saxoniciis,*  
*Episcopatibus illis exire quoque debere, nec ibi ferendum*  
*esse. Alio in loco in hanc sententiam scribit: Atqui*  
*in terris Serenissimi Saxon. Electoris possessionatus quoque*  
*est, qui in Episcopatibus Saxoniciis bona possidet, licet in-*  
*tuitu diversae jurisdictionis, Serenissimum Electorem, non*  
*qua talem, sed qua Episcopum, recognoscat, nec enim re-*  
*spectus hic juribus offici territorialibus, quae in Episco-*  
*patibus etiam exercentur, diversa quantumvis sit juris-*  
*dictione. Nimirum locus aliquis potest esse IN territorio,*  
*non vero DE territorio Principis, veluti quoque in Episco-*  
*n pati-*

*Tit. IX. art.*  
*s. n. 82.*

„patibus Serenissimo Electori Saxoniae jura competit  
„territorialia, salva jurisdictione Episcopali. Ac certe E-  
„piscopatus in Saxoniae Electoratu, provinciis hisce ita  
„novimus incorporatos, ut quae vulgo obtinent in Ele-  
ctoratu, locum quoque habeant in Episcopatibus, veluti  
quoque hinc relegatus ex Electoratu Saxoniae, in Epi-  
scopatibus commorari prohibetur. Similia fere haben- L. III. Rep.  
tur in Responsis, ubi, nihil commune esse Episcopa- 125. n. 9.  
tibus cum provinciis Saxoniciis, asserit quidem, agitque  
de provocatione ad Judicia Imperii: non tamen sibi  
obesse, dicit, jura territorialia, quae Serenissimus Saxo-  
niae Elector in Episcopatibus sibi vendicat, quippe quod  
„haec non semper annexam habeant jurisdictionem, quia  
„nolum non est, ut una eademque provincia plurium domi-  
„natu fastigetur, alio scilicet jura terrotrialia, alio jurisdi-  
ctionem simplicem, alio jus gladii, alio alia jura sibi ven-  
dicante. Quae omnia si conferantur cum prioribus,  
justaque perpendantur lance, facile constabit aliam  
plane sententiam Carpzovii animo haesisse. Scilicet  
optime intellexit summus vir, intertorii amplis  
Statuum Imperii dari etiam interdum territoria sub-  
alterna, quorum dominis exercitium quorundam  
et quidem plurium, raro omnium, jurium superio-  
ritatis territorialis ab illis, qui hac superioritate gau-  
dent, indulgetur. Quod exercitium *jus territorii*  
vocari quidem solet, sed *subalternum*: utque ut ab  
ejus jure, qui superioritate territoriali ipsa, analoga  
illa et aemula Majestatis potestate, pollet, recte *Jur. Pub.*  
distinguatur, hocce *sublime jus territorii* nostri aevi *Prud. Cap.*  
*stylus consuevit appellare. Quoniam itaque Epi-* *LIX. §. 9.*  
*scopi territoria talia subalterna, in provinciis Saxoniciis habent, tribuit illis Carpzovius jus territoriale*  
*quod-*

*Processus Tit. quoddam; quod mox jurisdictionem ordinariam vocat,*  
*II. a. 2. n. 12.* modo etiam simpliciter jurisdictionem, modo juris-  
*ij. 22. Tit.* *XIX. a. i. n.* dictionem episcopalem; quod tamen et mox juribus  
*24. Lib. II.* territorialibus opponit & ab illis distinguit. Atque  
*Reſp. 125.* illud jus territorii vel istam jurisdictionem Serenissi-  
*n. 9.* *Tit. IX. a. 5.* mum Archi-Principem non tanquam Electorem  
*n. 82.* aut Dominum provinciarum hereditiarum, sed tanquam Episcopum vel Administratorem exercere tradit: eo enim tempore, quo haec scribebat noster,  
**D. JOH. GEORGIUS I.** omnes hos administrabat Episcopatus. Et hoc sensu sejungit Episcopatus a terris Electoralibus, nec quicquam commune esse his cum illis; ac quibuslibet peculiaria judicia esse, docet. Eadem ratione scribit *non amplius IN territorio Electoris sitos censeri*, item *non esse DE territorio ejus*, hoc est, obtemperare *immediate* illi non tanquam *Electori*, sive qua tali, vel si paulo accutius loqui velimus, tanquam *Marchioni Misniae vel Landgravio Thuringiae etc.* sed tanquam Episcopo, vel Episcopatum Administratori. Quo ipso tamen non negat, sed potius diserte affirmat, esse illos Episcopatus *incorporatos* terris Archi-Principis atque *in territorio* illorum, illisque tanquam *Electoribus Saxoniae, vel Marchionibus Misniae et Landgravii Thuringiae etc.* jus territoriale, non *subalternum* illud scil. sed supremum, quod *sublime* vocatur, vindicari. Quicquid enim est *in territorio*, non potest subterfugere superioritatem illius territorii, quae super omnia se expandit. Etsi vero, quod est ita *in territorio*, ex vero etiam sit *de territorio*, si hanc formulam ita, ut passim sit, explicemus de subjectione territoriali; et quod non est *de territorio*, hoc est, non subjacet alterius ter-  
rito-

*Jur. Publ.  
Prud. Cap.  
LXII. §. 2.*

ritorii superioritati, sed separatum territorium immediatum constituit, licet ab alio territorio circumdatum, (*enclave*) proprie loquendo *in territorio*, a quo est circumdatum, non est, sed per se territorium constituit: ex locis tamen Carpzovianis, si inter se conferantur, praeferuntur *Tit. IX. a.5. n.81.* satis perspicue apparet, per formulam *de territorio* in hoc argumento ipsum nihil aliud velle, quam hoc, Episcopatus non esse territoria immediata Electorum Saxoniae, et Marchionum Misniae etc. qua talium, et sic hoc sensu non esse *de illorum territorio*; esse tamen *in territorio* illorum, h. e. subiacere provinciarum Saxoniarum summae territoriali potestati. Quae ipsius mens ex reliquis ejus traditis satis superque se porro prodit. Docet enim iisdem legibus regi Episcopatus, quibus provinciae nostrae reguntur, quod sane non fieret, si Principis nostri supremum jus non agnoscerent. Non esset quoque ejiciendus, quod *Carpzovius* tamen adstruit, ex Episcopalibus terris relegatus in provinciis Electoralibus, si territoria non subalterna, sed distincta plane ab hisce, et propria *autonarogia* gaudentia constituerent. Porro commonet *Carpzovius*, possessiones in terris Episcopalibus eo prodesse, ut in regionibus Archi-Principum jure agens immunis sit a satisdandi necessitate: quod certe admitti haud posset, si territorialia Episcopalia separatas rationes haberent, et sub regimine universali nostrarum provinciarum non comprehendenderentur. Haec vero omnia dum docet *Carpzovius*, qui quae-  
so in mentem ipsi potuisse venire, ut denegare ve-  
lit Domino suo territoriale potestatem in Episco-

b

pati-

Dn. Berg.  
El. Proc.  
Crim. p. 32.

patibus? Neque etiam, quod de nexu feudali, in  
relatione ad Caesarem atque Imperium, et de pro-  
vocatione ad tribunalia Imperii habet, in alia trahe-  
re nos possunt. Nam quod ad primum attinet,  
*Carpzovius* iuxum istum feudalem in hunc finem  
saltē allegat, ut comprobare velit, territoria sub-  
alterna Episcopatus constituere, quae Elector, non  
ut Elector, sed ut Episcopus regat, et in quibus  
peculiaria judicia constituta. Ceteroquin autem,  
quicquid sit de illo nexu feudali, qui quousque

*Vid. Hordl.  
d.l.*

*Jurispr.  
Pub. Cap.  
LXXX. §. 8.*

*Schilt. ad  
Struv. c. VI.  
§. 10. p. 47.  
App. I.  
Sprud.  
Feud. N.  
IX.*

hic porrigatur, nostrum non est indagare, notum  
est, illum cum nexu superioritatis, atque subjectionis  
territorialis haud esse confundendum. Non  
desunt exempla illorum, qui immediate subjiciuntur sunt  
Imperio, lege tamen beneficiaria territoria imme-  
diata, propter quae et Status Imperii axiomate  
gaudent, ab alio Statu accipiunt, ac possident. Pariter  
territoria et bona dari possunt, quae feuda qui-  
dem Imperii sunt, et jure Vasallagii immediati  
stringuntur, si tamen subjectionem respicias, non  
nisi mediate subjacent summae Imperii Majestati,  
proxime vero Status alicuius Imperii superioritati.  
Quod ad alterum attinet, *provocationem* scilicet ad  
Judicia Imperii, saepe laudatus Auctor, dum, quae  
de illa habet, in medium affert, non ea mente id  
facit, ut iura territorialia Saxonica in dubium  
vocare velit, quae in ipsis illis locis, ubi de hac re  
agitur, ipse afferit; sed saltim ut evincat, privile-  
gium illud illustre de non provocando ad Episco-  
patus non pertinere; nec a sententiis in Episcopa-  
tibus latis ad Curiam Lipsiensem provocationem  
esse

esse permisam, concessamque. Quod vero subditis Episcopatum ad Tribunalia Imperii provocare liceat, ad pacta et conventiones refert Auctor noster, quas speciatim recenset, tum in Responso saepe in partes vocato, tum in Commentario de Ordine Judiciorum. Cujus generis pactionibus si *Tit. XVIII.*  
jure suo quadantenus cedat Dominus territorii : *a. I. n. 22.*

quis credere vellet superioritatem territorialem ideo plane cessare ? Sane *Carpzovium* id non credidisse, eo magis quilibet sibi persuadebit, quod ipse etiam docet, aliis pactionibus Archi - Principem jus provocationis sibi servasse, atque integrum esse subditis Episcopatum, num ad Judicium Imperii, an vero ad Tribunal Dresdense se conferre, et adversus sententias gravantes auxilium hoc vel isto loco quaerere velint ? Quod denique de jure protectionis juxta vulgatum : *Schirms Gerechtigkeit giebt Myl. de Jure Stat. Part. I. c. 18. n. 23.*

*Schirms Gerechtigkeit giebt keine Obrigkeit, commentatur noster Benedictus, minime eo pertinet, quasi jus supremum territorii ademtum velit Electori Saxoniae, quod illis ipsis in locis, ubi haec habentur, diserte astruit, et vindicat ; verum ideo faltem adfertur, ut appareat jus illud protectionis non impedire, quo minus Episcopi jure quodam territoriali etiam, et jurisdictione ordinaria gaudere queant ; pariter ut, *ipso Auctore*, jura territorialia summa scilicet non obsunt, quin eadem jurisdictione vel jure territorii quodam, *sub alterno* scilicet, Episcopis liceat uti. Hac ratione si verba *Carpzovii* quae obscuriora fortasse, vel dubia videntur, ceu par est, conferantur, atque alia ex aliis explicitur, nullum, puto, superesse dubium pos-*

terit; quaenam mens fuerit *Carpzovii*, & quam pa-  
rum faveat illis, qui in suam sententiam istum per-  
trahere conantur. Neque enim quisquam eo se  
facile patietur adduci, ut persuadeat fibi, tantum vi-  
rum in re tam magni momenti contraria et secum  
pugnantia in animo habuisse, credidisseque, stare  
ea simul posse. Pluribus de his agere nec tem-  
pus, etiam nec institutum praefens mihi indulget.  
Agamus potius id, cuius occasione scriptio mihi haec  
est subnata. Scilicet dum in publicum prodire  
cupit Clarissimus juris Candidatus CONSTA-  
TINUS TEMMICHUS, praefanda mihi quae-  
dam fuere: et enarranda nunc est, ex more veteri  
vitae et studiorum ratio, quam per quam laudabi-  
liter init nos. Patria ipsi contigit *Belgera* anti-  
quissimum oppidum Misniae ad Albim: cuius origi-  
nem *Caroli M.* filio deberi dicitur, qui eo in loco, cum  
adversus *Sorabos* bellum gereret, castra posuit, et hi-  
bernavit. Conspicitur in eo colossus ante curiam, seu  
statua, quae vocatur *Rolandina*, insignis magnitudi-  
nis, quae ad ea *Caroli* tempora refertur, quibus solen-  
de Stat. Rol.  
*Gryphian.*  
*de Col.*  
*Weichbild.* ne suisse traditur colosso tales poni tanquam signa  
vel libertatis, vel imperii et jurisdictionis; ut fabulas  
illas taceam, quae de *Rolando* quodam, cuius honori  
statuae istae consecratae fuerint, auctore JOHANNE  
TURPINO, egregio fabularum magistro  
passim circumferuntur. Natus vero est Anno  
M DC LXXIX. ex parentibus honestis, et pa-  
tre quidem CHRISTIANO TEMMICHIO,  
cive integerrimo illius oppidi, matre vero ELI-  
SABETHA PLANERIA: quibus haec nata  
est

*Ditmarus*  
*lib. VI. &*  
*VII.*

*Albinus*  
*Cbr. Misn.*  
*p. 87. Rbet.*  
*de Stat. Rol.*  
*Gryphian.*  
*de Col.*  
*Weichbild.*

est felicitas , ut alterum nunc filium ad Doctoralem dignitatem videant adspirare: Qua fortuna utique dignissimi sunt, quod tenui licet rerum suarum statu , liberos tamen bene educare, liberalibusque artibus addicere omnibus modis studuerunt. Noster primum in ludo patrio primordia artium cepit, postea *Torgavienſi* , eoque jam dudum per celebri Lyceo adscriptus sub Clarissimis Viris M. GOTHOFREDO STEINBRECHERO , PETRO PAULO FECKNO , et JOHANNE STEPHANO ROSTEUSCHERO , egregie profecit , atque se his Praeceptoribus suis , quam plurimum se debere lubens gratoque animo fateatur. Confectis vero illis studiorum spatiis *Wittenbergam* venit, ac sub eo tempore, quo excellentissimus Archiater Regius et Primicerius Medicorum in hac Academica D. JOHANNES GOTHOFREDUS BERGERUS M DCC magistratum gerebat, jure civitatis nostrae est donatus. Scholas quas primum cum arti juris se addixisset, frequen- tavit, BRENDELII, confutissimi viri, fuerunt, quem Institutiones juris explicantem semel atque iterum audivit, et auctorem habuit, qui viam ad artem disputandi commonstraret. Accessit postea ad pulpita Antecessorum, magnoque studio sectatus Magnificos Viros STRAUSSIUM et BERGERUM, Consiliarios Regios, quorum illi Ordinarii Praefidis munus Juridici Ordinis per plures annos maxima cum laude gessit, hic vero eodem felicissime in hunc diem defungitur. Adfuit vero sedulus illis, tum et beato HEBERO nostro, tum praefantis-

fimo JCto SVEVO , tam Civilis, quam Canonici et Feudalis varias juris nostri partes magna cum cura exponentibus, atque ex illis feliciter didicit, non tantum, quae ad Theoriam spectant, verum etiam, quae animum ad usum forensem praeparare debent. Nec dissimulare possum, et mihi publice privatimque docenti assiduum auditorem fuisse, ac praesertim tunc mihi suam probasse diligentiam, cum *Lauterbachianum* compendium evolverem, et illis, qui meae disciplinae se concrediderant, viam ad causas orandas aperirem. Haec dum egit, non neglexit Philosophica studia, sed non infelici successu cum Jurisprudentia illa conjunxit. Non defuit etiam ipse occasio rebus forensibus mature aspescendi, discendique, qua ratione leges, quae, ut *Bartolus* loquitur, in scholis diglutiuntur, in foro digeri possint. Nauctus enim illam est apud consultissimum fratrem D. CHRISTIANUM TEMMICHIUM , qui per complures jam annos causas tum aerarii publici provincialis tum aliorum in Curia nostra provinciali, et ecclesiastica, tum alibi intra et extra urbem et regionem magna cura et insigni cum applausu felicissime egit, et apud Academiam nostram Proto-Notarii munus dexterime gessit. Quum vero noster studiorum haberet, fiduciam professus est apud nostrum Ordinem nomen suum, et jam Mense Junio M DCC IV. experimento facto meruit, dignusque judicatus est, ut albo Candidatorum Juris infereretur. Vifum illi postea est abire a nobis ad tempus, et exterorum tam mores, quam jura perscrutari. Quod dum

dum fecit , illud tempns incidit , quo Svecorum  
in has terras impetus patriam nostram maxime  
perturbabat . Perststit ergo Servestae atque non  
voce minus , quam calamo plurimorum laboran-  
tium spem , vitam , et famam coram superioribus  
et inferioribus tribunalibus fortiter fausteque de-  
fendit , ac omnium sibi conciliavit favorem . A-  
more tamen patriae victus ad nos rediit relicto  
sui desiderio apud illos , quibuscum per tempus  
commoratus est : atque dum et alterum scruti-  
nium , quod rigorosum vocant , sustinuit , explevitque  
nostram expectationem , copia facta est illi reliqua  
specimina edendi , quae instituta majorum exigunt a  
Candidatis nostris . Nunc vero inter forensia ne-  
gotia , quae tum hic , tum alibi assidue tractat  
feliciter et cum laude , in eo est , ut ultimam ope-  
ris illis manum addat , atque sic majori cum de-  
core nobilissimum munus Advocati , quod apud  
exterios civilium dignitatum fundamentum habe-  
tur , in posterum subire queat . Prodibit scilicet in  
publicum proxima die Martis , DEO favente , et  
nostro sub moderamine de *Desertoribus Civitatis eo-*  
*rurisque poenis* , quod thema est dissertationis inau-  
guralis , in Acroaterio Majori verba faciet , et cum  
dissentientibus colloquetur . Meum itaque est , ut  
Magnificum Dominum PRO - RECTOREM ,  
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTOS ,  
omnesque alios , qui Jurisprudentiae favent , aut  
civitati nostrae literariae addicti sunt , reverenter ,  
et omni , quo possum , studio exorem , ut ne gra-  
ve illis sit , honorifica sua et gratissima praesentia  
pane-

panegyrim hancce illustrare. Dabimus operam  
sedulo , ut qualibet occasione pro viribus nostris  
testemur benevolentiae hujus memoriam, studium-  
que referendi cultum et gratias nobis nun-  
quam defutura esse. P. P. XIX. post  
Trinit. M DCC IIX.

---


VITEMBERGAE,  
Literis CHRISTIANI GERDESI.



(X2373723)

m.c.

B.I.G.



QK. 163.1.

Vindicatio leonum Ben. Caspaci  
sa juris sublimis territorii in Erfopo  
chilicayi: Herib. el Numburgenfi.

Xa  
3523

ORDINIS JURIDICI  
VVITTEMBERGENSIS  
DECANUS,  
**CASPAR HENRICUS  
HORNIUS, JC.**

Potentissimi Regis, et Electoris Saxo-  
niae in Provocationum Senatu  
Confiliarius, et Antecessor

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

